Climax Panegyrica
VITÆ (&)
SERENISSIMI ac CELSISSIMI
PRINCIPIS,
JACOBI

Eboraci & Albaniæ DUCIS, &c.

Fabrefacta per T. RAMSÆUM.

Ovid. Trist. l. 1. Ec. 2.

Quid! licet e minimis, Domui si favimus ILLI?

LONDINI,
Excudebat NATHANIEL. THOMPSON,
Anno Domini MDCLXXXII.

923:16

EPISTOLA DEDICATORIA.

SERENISSIMO PRINCIPI

JACOBO

DUCI EBORACENSI, &c.

Fortunam perennem!

Celsissime PRINCEPS.

SI illa demum, magna est Eloquentia, quæ invitis etiam placeat, difficile mihi admodum erit, inter tot obstantia erumpere, nisi Tuus PRINCEPS MAGNANIME favor, qualequale & ostenderit & aluerit ingenium. Nihil enim hic, laudare etiam volentibus, præter TEMETIPSUM encomio dignum obversabitur. Quodsi vero ad Zoilos devenerit judicium, næ, Illi vel ipsi Iliadi, violentas manus, & malorum Iliadem, inferre non dubitabunt.

Attamen quia TU mihi caveris quicquid Censorinus quispiam, defectus in oratione notaverit, Objecto sarciet, eoq; se faciliorem

orem ad nebulæ hasce contemplandas præbebit, quod non Jovem aliquem fictum, sed ipsummet Solem fasciis suis involutum exhibeant.

TU vero Serenissime PRINCEPS, ad tenebras hasce, radiantes Majestate oculos, demittere non dedignaberis, ut, si alio fine excideris, manifeste cernere queas, quanta sit in Oratoribus, Numen Tuum describere conantibus, imbecillitas; quanta, ad Phœbum cæcutiendi necessitas; nec posse quenquam, dum Virtutes Tuas explicare studet, temeritatis censuram effugere. Quippe ut immensum, percavato Vasculo, comprehendere Oceanum, ita facta gestaq; TUA, quà bellica, quà politica, in debitum panegyris orbem, cogere impossibile.

Ad minus igitur, suspensam hanc, in splendidissimo Virtutum TUARUM Olympo nubeculam, sines delitescere, donec vel temporum, vel aggregatâ stimulorum invitatione crescens, queat se tandem in irriguos imbres dissolvere, efformatâq; in cujuslibet ingenui oculis, indubitatæ TUÆ erga omnes Clementiæ Iride, TE Britannici Orbis Solem propriis corruscantem radiis, ulterius apertiusq; detegat. Interea, ut & TIBI PRINCEPS. Celsissime & TUIS perpetuo luceas, vonet

Serenitati Tuæ

Devotissimus

T. Ramseus.

EJUSDEM

In Principem Musa.

Aurea purpureo revirescunt tempora seclo,
Gemmea cum Britonis, PRINCIPIS ora nitent
Hoc Duce, jam Bellona furens, cessavit: & Anglis
Et Scotis, Planas, per fera monstra Vias
Pandit: Pandit iter Cereri, que tuta carinis
In Thamesi vehitur, Bannociaq; rigia.
HICCE suô, numeros firmavit Numine, rebus,
Et numeris normam Palladiumq; dedit,
Palladio mores, Populos his moribus, ultra
*Astra suis, * Cælo sydera, sorta Jovi.*

* Quia sub adventum Principis bonum portendentes Cometæ emergerunt ut divinantes Astrologi.

Hinc

HUIC haſtata cohors, Galeis jam nutat & omnes
Sylvarum certatim, attremuere comæ
Et colles reſonare ſolent, gemuiſſe cavernæ
ARTHURO *SEDES, condecorata ſalit.*
Subſilit hic gemino PARNASSUS *in æthera cornu*
Subſilit & COMITI, VINDELISORA ſuo:
Murmure tam grato peramæna BRITANNIA *ſerpit*
Sydera quod binis, attrahat illa comis
Sydera, quæ nobis Saturnia *regna minantur*
Et queis, Stella JOVIS, *queis * CYNOSURA favet*
Queis CYNOSURA favet? Tu Magna Britannia *quæris*
Cur? PRINCEPS rebus, quod Cynoſura foret.
Ergo diu Vive Princeps Celſiſſime Vive
TU Patriæ Magnus, tota ſed illa Tibi
Adjice TU Tameſi *Gangen, Tuedæq; Sabæos*
Sitq; TUUS naſcens, ſol morienſq; TUUS
Numine Magne TUO PRINCEPS, ſic axis uterq;
Pendeat ut genio, noſcitur ille TUO
Subjectòq; Solò, laudem non cæde QUIRITUM,
Aſt ut es exorſus, ſic bonitate para.

* Quia cometes appareret prope caudam Urſæ minoris.

Climax

Climax Panegyrica, &c.



Loquentiæ ſeriem, felicis ſæculi ſtylo conditam, nec minus Verborum facundia, quam rerum pondere ſuperbientem, ſi quis Deus hodierno ad me perferret Favonio, vix dum tantæ materiæ, debitis exorandæ floribus ſufficerem.

Non hic ego *Herculem Tyrinthium* cano, non fictos *Æneæ* exantlo labores, non Lupâ nutritos commemoro, hos feretrii *Joves*, & Capitolii aſyla ebuccinent, iſti *Maronis* Muſa ſubſerviat, illis ſua conſtet apud *Homericos* Vates Panegyris; majus quid altiuſq; TUBÆ noſtræ reſonabunt.

Atq; utinam conceſſum eſſet, *Objectum* cæleſti fabrefactum artificio, debitâ interpolare oratione; utinam me quædam *Pythagorica*, μετεμψυχωσις inceſſeret, ut vel in fingendo hoc, ſæculi noſtri *Alexandro Lyſippum*, vel in pingendo Apellem liceret imitari.

Divino Principes turgere Numine, nemo ibit inficias; proinde, vix communi natus utero attrectare audebit, quos indulgentia naturæ, ſupra humanæ ſortis habitum, plurimùm evexit.

Felicibus tamen auſpiciis, ab ipſius *Objecti* clementia petitis de Sereniſſimo JACOBO EBORACENSI DUCE eloqui incipiam, ipſius merito, quam meo ſtudio uberior.

Et ſi forte penicillum noſtrum *Plenum Deo* evaſerit, Virg. omnemq; cogitationum impetum in delineando tanto

PRIN-

PRINCIPE insumserit, nihil morabor, nulli licet ad complectendam aliorum imaginum Majestatem, colores relinquatur.

Suam Civitatem *Platoni* Idealem, mihi realem, omnibusq; numeris absolutum PRINCIPEM, salvâ cuilibet vemâ, liceat depingere.

Ex quo Supremus naturæ Artifex, cælestia, in Terraqueum hunccce globum, incepit spargere semina, diffusamq; per UNIVERSUM, politioris limaturæ seriem, *Microcosmo* inserere, nunquam adhuc, (absit adulatio dicto) perfectius quid PRINCIPE nostro, enixus est.

Quippe si oculorum mentisve aciem, penitius in illum converteris, cunctos Virtutis numeros, Altitudinis ejus sinu vallatos facile deprehendes.

Vid. Florum n Prolo. hist. Ne hic vero quicquam confusi, de tam distincto PRINCIPE dicturo obveniat, commodum duxi, imaginé ab hominis ætate desumptâ, EJUS infantiam, adolescentiam, Virilitatem percensere, atq; ut cæperit, ut adoleverit, ut tandem lacertos moverit, strictius enarrare.

De senio altum nobis erit silentium, quia in fatis positum esse videtur, Principi nostro continuâ, juventutis repullulatione virescere.

Adeste Musæ Gratiæq; omnes!

Si quis magnis natsi Parentibus, inter summa fortu-
Infantia. næ reponat munera, majorem multo præ aliis *Infanti* nostro sortem obtigisse crediderit. Non Ille inane nomen præfert, non fictam DEORUM parentelam arcessit, verum decentissimis Antecessorum imaginibus decoratur.

STUAR.

STUARTORUM (*quantum nomen & pondus*) surculus est; STUARTORUM inquam, qui tot sæculorum decursu, Sceptra incontaminati gesserunt Imperii, & fasces nulli secundas tenuerunt. STUARTORUM, qui Nobilissimæ & Invictissimæ *Caledoniæ* gentis, domi foriſq; Arte & Marte inclutæ, habenas moderabantur; Qui dextri consiliô, insuperabiles bellô immutabiles pace, semper extiterunt. STUARTORUM qui non minus suo merito ac successionis jure, Vetustissimo SCOTORUM Diademati, *Anglicano*, *Hybernicamq;* Coronas adjecere. Soli magni, soli felices, quia soli tam splendido terno Imperatorum insigni decorati.

Quia & Regem de notat & dispensatorem significat

Ut vero ex Paterna traduce, Regios mox Infans noster concepit Spiritus, ita ex Materno sanguine, animum hausit Magnificum.

Bellicosissimæ, Facundissimæq; Allobrogum gentis *Monarchâ*, progenita MARIA, huic Infanti nostro, Regia præbuit ubera, per quæ omnes corporis animiq; dotes tanquam hæreditarias in Ipsum transfudisse videtur.

Ita ex hac suavissima elemementorum conspiratione, tantus tandem PRINCEPS prodiit, qui admirationem potius sui, quam descriptionem requireret.

Non immerito quidam Paternis Maternisq; PRINCIPIS, distichon subscripturus Iconibus, deq; sobolis ratione dicturus, Lectorem in suspenso deseruit;

Filius hic Magni JACOBI, *hæc Filia Magni*
HENRICI, *soboles, dic mihi qualis erit?*

Certè magna & admirabilis! Apparet enim istud in

PRINCIPE nostro, qui sæpius certa edidit indolis suæ specimina, ut vel ipsa incunabula, liquidissimo essent indicio ad quodnam gloriæ culmen Ipsi tandem esset perveniendum.

Omittam hic erectam corporis compositionem, quæ quis conspecta *Statorem Jovem*, renasci juraret; omittam circumfusam Majestatê gratiam, præteribo lepores, tacebo ponderosissimum sermonem, quæ omnia in Infante nostro ad usq; miraculum elucebant, sufficiet sola, ad Artis Martiq; munia obeunda dexteritas, quæ tanta fuit, ut *Apollinem* possedisse, & infantilis tibiæ cantu, (*Spartanas* alter.) Martem accendisse videretur.

Ast hæc exigua fuere, ad infinitum opus prolegomena, & nonnisi futuræ [illegible] præsagia. Majus quiddam in *Adolescentia*. Ejus emicuit, in qua varias fatorum vices expertus, non tanquam in aprica valle crevit, sed velut Regia arbor, ventorum expositus libidini, certas pro futurâ germinatione, radices defixit.

Adolescentia.

Neminem latere putem novissimas *Albionis* turbas accensamq; *Belluæ multorum capitum* dementiam. Sociale hoc an *Civile Bellum* dixero, ambigo: Servile certè magnô, parricidiale maximô jure appellaverim; a servis inchoatum tandem ad ingenuos delapsum est donec armorum furor, totius fere *Angliæ* viribus subnixus in trucidato REGE, ad tempus desineret.

Tacit. Ann.

In hoc tam atroci cataclysmo, securus Virtute suâ PRINCEPS enatavit, atq; postquam signa cum signis, strepitantiaq; arma cum armis contulisset, sævientibus indies immodestæ turbæ odiis, ad Allobroges secessit, quasi à fortuna meliori & commodiori Triumpho, reservatus.

Et

Et suam & Serenissimorum PARENTIS FRATRISQUE sequiorem fortunam, æquo tulit animo, gnarus *Horæ momentum interesse, inter Solium, & aliena genua*; Hancq; demum magnam esse falicitatem, quæ ut illa sa evaderet læderetur. Senec. de tranq an. c. 11.

Ut vero multos Adolescentia PRINCIPIS ictus pertulit, ita multo plures inchoata jam quamuis præcox *Virilitas*, ut eo magis induraretur, & quicquid ei accidisset, qua expectatum solitumve respiceret.

Quis hic Serenissimæ Reginæ Matris dolores, quis fata digne percenseat? quis tot Fraternas clades, & summa discrimina sufficienter enumeret? quis propria PRINCIPIS, depingat pericula? Quot verba, tot mucrones, quot facta tot mortes, tot busta, quot lachrymæ. Multo autem his majora Eum exercere debuissent tormenta, cum aures Ejus personaret Sanctissimum, *Virilitas.*

Et REGEM & PARENTEM fatali secure, ad ipsos REGIÆ suæ PENATES, fuisse trucidatum.

Quis non tum temporis, *Jovis* ipsius oculos, venarum cruore respersos dixisset? quis non ingemuisset tremebundus? quis lugubrem indutis vestem syderibus, non collacrimasset? quis concusso, præ tam horrendo scelere, utroq; *Universi* axe, ipsemet non concidisset?

PRINCEPS tamen noster, ut decebat VIRUM erectus constitit, remq; a semel scripto, nec unquam ocyoso profectam fato, *casum sine dementia indignatus* mitissime pertulit. Æneid. l. 2.

Interea vero, licet apud *Vejos* moraretur, pristinorum mæniorum curam, amicissimo revoluebat pectore neq; refugiebat Camilli vices ut sua ingratæ, (licet potentis-

simæ alias genti,) constaret majestas, consiliôq; Ejus quamvis absentis, fracti sua labe populi, incolumitas servaretur.

Circumspiciebat quomodo a vulgo Regia FRATRIS Serenissimi Diademata, tuta redderentur. Et quia malî originem, ab exiguorum quorundam impositione censuum pullulasse cernebat, per profusam liberalitatem, rixas inter competitores tollere nitebatur.

Vid. Elench. motu. nuper.

Spolia magis quam vitas à Latronibus quæri videbat, nec tam multum *personis*, quam rebus *Earum* inhiari. *Nemo enim ad humanum sanguinem propter ipsum venit, aut admodum pauci: Plures computant quam oderunt.*

Ep 14. Senec.

Expeditiores Arithmeticos quam Tyrannos, avaritia constituit: & si omnes prædones *Crimine ab uno*, aut pluribus discere volueris, comperies, distentam crumenam ab illis, non vitam aucupari;

Da (inquiunt) *aut morere.*

Inhianti igitur rebus suis cæteræ, offam objecit prudentissimè, ut dum interea illa haberet quod roderet, PRINCEPS NOSTER suam Serenissimo FRATRI, fidelitatem comprobaret, & per subjectas, pedibus Ejus adminiculorum, cervices, viam ad Imperatorium sterneret fastigium, in quo existenti CAROLO, talia submi-nistraret consilia, quæ non subditorum libidini essent, sed sanæ & subactæ rationi comparata.

Hac methodo, mentes ad honestatem, animos ad gloriam accendens, sublevans depressos, seditiones compescens feros, &c.

Agreſtes homines, ſacer interpreſq; Deorum
Cædibus & fœdo Victû, deterruit Orpheus
Dictus ob id lenire feras, rabidoſq; Leones. Horat.

Paruitq; Ipſi in dubiis hiſce rebus felicitas. Namq; ferocem & exaſperatam parricidarum Cateruam, in tantum emollivit, ut cum de reducendo Rege Conſilia ineuntibus accinuiſſet, novitate & incredibilitate rei perculſus *Monarcha Sereniſſimus*, inter ſpem & metum, dubio mentis judicio fluctuaret.

Tandem tamen PRIN. NR. nunquam obliterandi MONCKII, Illuſtriſſimi deinceps *Albemarliæ Ducis*, indefeſſis conatibus, tanquam alterâ *Herculis* adjutus columna, & ſævitiam, ne *PLUS ULTRA* procederet inhibuit, & fælicitatem CAROLI ex CAROLI ſymbolo, *PLUS ULTRA* protraxit.

Tantum vegetum conſilium unius, & inclyta alterius providentia effecit;

Fortunati ambo; ſi quid mea vota valebunt
Nulla dies unquam, memori Vos eximet ævo
Dum STUARTA *Domus* Britonum *non mobile ſaxum*
Accolet, Imperiumq; PATER CALEDONUS *habebit.*

Dum enim in tam crebra acie verſaretur, dum cum hoſte ſæpius confligeret, dum fracto conamine in ſanctiore, adorandæ *Quercus* receſſu deliteſceret MAJESTAS, ſuis ſuſtentabatur Viribus, aſt poſt collapſum lacunar *Principe* noſtro, tanquam ſupremo uſa *Architecto*, incredibilis ingenii artificio, agentem ex imo rimas *inſulam* ſuſpendit &

medium

medium vidit discedere Cælum
Palantesq; Polo Stellas.

Dignus es Serenissime *Princeps*, cui juge pro tantis erga *Regem Fratremq;* Tuum meritis, adoleatur sacrificium: dignus quem Gratiæ immarcida laureâ coronent, eo quod

Duros casus Virtutis amore
Viceris atq; Tibi laudem Decusq; pararis.

Prout vero mentium Cælestium natura, semper in actione est, nequiit *Principis* nostri animus, post res undiquaq; pacatas, torpore desidiosi Veterni rigescere. Alacritatis fortitudinis, & sui in Patriam amoris, indubitata & signa ubiq; dedit, & reliquit vestigia.

A Supremo *Reipublicis Maris VINDICE* constitutus *Arcbitalassus*, supra ipsum *Themistoclem*, multorum *Milthiadum* trophæis acrius excitatus, tot Victricium classium memoriâ, veluti tacitis gloriæ facibus, Regia accendit præcordia, non alio intentus, quam ne ab illis quos natalium splendore antecedebat, Virtute superaretur. Ita ut taceant hic *Manlii*, taceant *Valerii*, obmutescant *Æmiliani*, nec magni *Sextive Pompeii*, nec *Spartanorum Xantippi*, vel recenscantur, vel conferantur cum *PRINCIPE*. Nullus enim eorum, aut nobilitate magis, aut animi indole, futurisue & sperandis actis, Principe nostro inclaruit, de quo merito cum Poeta dixerim;

Corn. Nepos.

nunquam Romula *quondam*
Ullo se tantum, tellus jactavit Alumno.
Hic pietas, hic prisca fides, invictaq; Bello

Dextera;

Dextera; non illi est quisquam se impune laturus
Obvius armato, seu cum pedes ivit in hostem
Seu fluvantis aquæ medias sulcavit arenas.

Exhibuit magnanimæ Virtutis specimina, quando edito navali, cum *Neptunia Belgarum* gente prælio, RUPERTOS TRUMPIOS BANCROS, totq; præterea horrenda nec infima nomina, antennas demittere coegit, & honorem ademit suppari.

Quàm ibi Eum acriter vidisse insistere, quam decertare feliciter, quam militum animos efficaciter ad pugnam accendere!

Primus inire viam & fluvios tentare minaces Virg.
Audet, & ignoto, sese committere Ponto confer
Nec vanos horret strepitus. cum Sen. Ep. 35.

Inter medios Bombardarum boatus, inter vibrantia atq; arietantia adinvicem tela, relucentemq; ignibus Oceanum, velut alter NEPTUNUS, hostium classes *Tridente* confregit, noviſq; in moram factis, Virtutem extendens, licet imperio natus testatum fecit, se à natura, tot eximiis ornatum esse dotibus ut pariter & *bonus lancearius & DUX egregius* existeret. Homer.

Nec ausi sunt nisi cedente hoc *Numine* capita arrigere, ita ut si quid, Triumphanti BRITANNORUM classi acciderit discriminis, potius PRINCIPIS nostri absentiæ sit, quam *Belgarum* Virtuti tribuendum.

Securis quietisq; *Numinibus* facile terreni insultant Gigantes, ast cum semel *ILLA* sagaciori providentiæ oculo, *Ultrici superimposito Sceptro*, conspexere molimina, Dei Hieroglyph. ap. *Ægyptios* Sceptrum cum oculo superne ei imposito.

na, tanquam tot emanantibus ab illo radiis, ſolent, Machinatorum aliis ad Orcum demiſſis, aliis in ordinem coactis, atras tremulaſq; nubes diſpellere.

Itaq; ſemper, invicta Principi noſtro, bellica Virtus conſtitit, ut ſæpius cum *Cæſare* famâ prius, quam præſentia vinceret.

Sueton.

Quantum libet autem hoſtis, crebro in committendis claſſibus, callidiſſima *Hannibalis* inſtructus Dialecticâ, tempeſtatis obſervaret ingenium, adverſiſq; velis ſecundum tenens curſum, ventô procellâ, turbinê pugnaret, tamen PRINCIPIS invictum ácie pectus, unius inſtar Clypei ſatis erat, quod & tremefaceret minacem *Belgam*, &

Flor. l. 2. c. 6.

Luctantes ventos tempeſtateſq; ſonoras
Imperio premeret.

Quantæ magnanimitatis eſt, quantæ Virtutis & hoſti, & pelago, & naturæ frenum iniicere!

Neq; poterat vel Palinurus metuere, vel mare, concitatas non extinguere flammas *dum Cæſarem veheret*.

Flo. 4. c. 2.

Naturæ EUM habenas injeciſſe apparet, cum contra illius curſum & ordinem, æque toties Victricem claſſem ſalvam ex acie reduceret, ac adverſæ partis fulmina, ſuis extingueret fulminibus, totq; hoſtium naves, quas aliquis, revulſas Cycladas mari innantes crederet, aut uno vorticis abſorberet hiatu, aut feliciſſime accenderet, aut in *Britannica* ſubduceret navalia, ex illis tanquam ex altera *Antiatum* præda, famæ perpetuo duraturæ ROSTRA extructurus, & quaſi

Liv. l. 8.

Tertia-

Tertia-arma Patri penſurus capta *Georgio*. Curti.

Hoc tamen non obſtante, plurimos Belgarum quos jure Belli ad ſervilem ſtatum reduxerat, non liberos ſolum, verum etiam ſine pretio dimiſit, ut Orbi univerſo fidem faceret, cum ferociſſimo populo ſibi de *fortitudine non de ira certamen fuiſſe*.

Porro ut hoſti tergiverſanti capiſtrum, ita pacem petenti, *pacis morem* impoſuit; evidenter demonſtraturus, Æn 5.
quod qui *Bellonæ* metam præſcribere valuit, etiam *Janum* ſuo edicto, reſerare poſſet vel claudere.

Hic cadunt vanè impoſita, novi *Belgii* noviq; AMSTELODAMI, oris *Indiacis*, nomina, cadunt ſuperba RUYTERORUM, TRUMPIORUMQUE auſpicia: Solus ſuo Nnmine PRINCEPS, tanti molem diſſlavit conaminis, atq; regionem à gente *Angliam* à titulo EBORACUM dici imperavit.

Prout vero ſuperbos debellare IPSI ſolemne fuit, ſic populum imperio regere, & non parcere ſolum ſubjectis, ſed etiam ad ſummum evehere faſtigium, unicum.

Gloriam, honorem, nomen ſuæ gentis, & augere quotidie, & ſtabilire ſupremam duxit felicitatem, ut qui non *Marmoream* cum illo Imperatore ſuam *Romam Spar-* Auguſt.
tamve, ſed totam auream, totam gemmeam & lateritiam efficere ſtuduerit & ſtudeat.

Cujus hic, linguæ non ſoluerentur repagula? quis non in laudes erumperet *Zoilus*? quis non perennaturâ laurô Principis cingeret tempora? Scilicet quilibet

Cui de meliore luto finxit præcordia Titan.

Valer. Max. *Niobem* in lapidem ideo conversam dicunt quod imaginem lapideam, supra natorum suorum Sepulchra posuerit. At quis *Serenissimo Principi* carbunculorum sydera, gemmarum facies, astrorum splendorem inficiaretur debitum, cum non *Corinthiacas* statuas, non mortuis erigat, sed & vivere TERGEMINUM populum, & Virg. ad feliciorem *Araxe Tamesin*, *Saturnia regna* vivere imperet.

Atq; videbatur apud populum, prima rerum facie, pro tot cumulatis inse beneficiis, vigere gratitudo, donec emersô alicujus *Conspirationis* cometâ, varia contra PRINCIPEM nostrum, ignium concipi cæperunt genera, que causata sunt

Longos à tergo flammarum albescere tractus,

Multisq; facibus, multis fulminibus, majore inter sese collisis impetu, hominum aciem hæbetarunt.

Talis tum temporis erat animorum apud *Anglos* confusio, qualis Poetæ visa est;

Lucret. *Nam veluti pueri trepidant, atq; omnia cæcis*
In tenebris metuunt, ita nos in luce timemus.

Quid dico in luce timebant? imo postquam omnia sibi fecissent tenebras, nec quid noceret, nec quid expediret viderunt.

Præsertim quia metum fecere publicum, ubi urbium ruinas, populorum excidia, concussionem terrarum, eversionem religionis somniarunt.

Tot

Tot & tanti extitere Vates, qui velut ex Tripode bacchari incæperunt.

——— *magnum ſi pectore poſſent*
Excuſſiſſe DEUM.

Præſagire peſſima, prædicere nefaria, ipſis ſyderibus, erratilcq; *Cometis* intereſſe, & quaſi repetitos cum Numa, à DEA *Ægeria* futurorum eventus, in vulgus ſpargere non dubitarunt.

Senec. nat. l. 6. cap. 29.

Nunquam, (inquit aureus Philoſophus) *plura Vaticinantium exempla invenis, quam ubi formido, mentes Religione mixta percuſſit.*

Siquidem ſi Politico credimus, Religione populum in Officio contineri (quamuis hoc ſolo fine excogitatam, nequeam aſſentiri prophano.) Maximæ id, omni Dubitationis procul abjecta aleâ, venerationis debebit eſſe, quod frænum laxatis iniiciat cupiditatibus: Nihil autem venerabile eſt, quod non & *Zelo* nos, & timore & ſuſpicione diſtentos reddat & turgidos, ut non immerito Poeta;

Machivel.

Res eſt Solliciti plena timoris Amor. Ovid.

Exinde ſummæ Tyrannidis, de ſummo *JACOBO*, fovetur opinio, famoſi & aliquando carnificis exuſti manû, adornantur Libelli, *in quibus EUM docuerunt crudelem eſſe, Qui non potuit diſcere.*

Fremit autem interea populus, & ex inopinato iniquorum Temporum vices ingruunt in *PRINCIPEM*, quaſi eventu ipſo teſtaturæ nihil eſſe in rebus humanis inconſtantia conſtantius.

Quotuſquiſq; enim eſt hominum, quem non alia atque alia infortunii teneat Panegyris? quotuſquiſque cui haud liceat, horæ interponere momentum, inter fortunam maximam & ultimam? Quotuſquiſque cui vel ipſa exitio non fuerit felicitas?

Omnes cum fatis colligati ſumus, nec tam catenis, quam eorum laxitate aut anguſtiâ Diſtinguimur.

PRINCIPEM noſtrum, qui publicæ libertatis ſanguinem ſæpius, vitam ſemper impendere paratus fuit, non ſecus ac alterum Miltiadem oſtracyſmo eiſcere atque e ſuo conſpectu ſubmovere, funeſta in animum induxit *SUSPICIO*. Iam que colliguntur vota, proiiciuntur lapilli, ipſâ urnâ tantum horreſcente flanuitium, cum vel hæc Sentire potuerit, non præturam *CATONI*, ſed *CATONEM* ſæpius præturæ negari.

Corn. Nepos.

Quod ſi Democriti aut Anaxarchi innumerabiles liceret coagulare mundos, omnibus *ALEXANDRUM* noſtrum, dignum pronunciaret, quiſquis rerum gerendarum, in *EO* penitus libravit peritiam; hic autem Patrium ſolum, hic a vita Ipſi eripitur hareditas.

Cum quot tum temporis Clodiis, cum quot Vatiniis, cum quot armatis *IPSI* decertandum fuit cupiditatibus! cum quot ſuæ libertatis, minime Sollicitis, quam venire nullatenus (icti licet & ad haſtam expoſiti,) intellexerant, cum ad venundandum quodammodo, *PRINCIPEM*, animum appellerent

Verum, etiam illa tempeſtate, egregia in *PRINCIPE*, Prætulit paucorum potius furori cedere, quam in univerſam Patriæ libertatem, videri injurius.

odenho.

rius. *Aut hic SCIPIO Angliæ deesse debebat, aut Angliæ libertas.*

In voluntarium igitur *Linternum* secedit Patriæque liminibus, illa Africani oratione valedicit. *Nihil inquit volo derogare legibus, nihil institutis: æquum inter omnes Cives jus sit. Utere sine me beneficio meo Patriæ, causa TIBI libertatis fui, ero & argumentum; Exeo, si plus quàm Tibi expedit erevi.* Senec. Ep. 86.

O ingens & præclarum, summæ moderationis argumentum! Spernit honores omnes tot fasces deponit, alto res gestas sepeliri patitur silentio, & non minus ornati quam defensi Imperii, Triumphos repudiat pro omnibus, solo contentus nomine, Atlantis instar qui pro sustento validissimis humeris ORBE, ipsummet officium, laboris sui pretium retulisset.

Manifestè hac methodo læsus PRINCEPS animum tamen in potestate continuit, ut qui intelligeret, summi pectoris esse, summas injurias, in summa potentiâ pati, *nec esse quidquam PRINCIPE impunè læso glorioſius.*

Quid enim ad æstimandam *Augusti* vitam & ad honorandam illius memoriam, uberius contulit, quam omnis ultionis remissio. Quippe cum tot illi *in Senatu Labei*, tot contradicerent *Lepidi*, tot suo fulti judicio PRINCIPI ogganirent; nulli vel libertas fraudi dicitur, vel contumacia fuisse. Vide Suet. in vit Aug.

Nec defuit sontica tantæ moderationis occasio. Fas duxit ut aliquando, plurimi, soli IPSI resisterent, quibus IPSE solus quandoq; obtiterat, ut quod rei merito impetrare nequierat, longanimitate obtineret.

Addidit tantæ moderationi fomentum, quod animus

PRIN-

PRINCIPIS, non incerta ſpe fluctuaret, nec penderet dubius, verum certo certius, tandem ſibi & victor jam polliceretur & gloriam

Edoctus erat, haudquaquam caſu cuncta Volui, ſed ut alicubi *Hiſtoricus* æternâ conſtitutione nexuque
Curtius. cauſarum latentium & multo ante deſtinatarum, ſuum, etiam coronata capita, ordinem percurrere.

A ſuis vero partibus ſemper ſtetiſſe cælum, ſemper ſibi propitia fuiſſe ſydera, tot retro documentis compertum habuit, ut nullatenus dubitaret, quin ordinatæ ad clavum manus, eundem capeſſerent.

Quiſquis autem, illuſtriſſimis anteceſſorum ſuorum imaginibus, proprii nominis, geſtiit immortalitatem adnectere, gradatim eam aucupatus eſt, ne nimia præcipitantia, nimiam ſibi invidiam conſciſceret. Solet quippe ut obſervavit *Philoſophus*, vel ipſius *Oraculi* voce
Socrates. declaratus *Græcorum Sapientiſſimus*, ſolet inquam ſæpius accidere, ut qui initio concitatius properant, ad metam perveniant Serius.

Servavit hunc ordinem *PRINCEPS* noſter omnium ſanioris mentis judicio *Prudentiſſimus* Patienter, etiam durius bombizantium apum tulit examina, ut eo ad collectionem mellis perueniret facilius cumque æquiſſimo jure peſtiferam recalcitrandi libidinem, teterrimam oblatrationem, multaq; ſcæleratiora facta, etiam ſeverius, reprimere potuiſſet, nonniſi per τιμωρίας vitiis occurrebat, ſummæq; protractione clementiæ multauit contumaciam.

Et profecto ea demum vera prudentia eſt, in perturbato rerum ſtatu, ſenſim ad tranquillum portum, publi-

publica perducere negotia, nec tam præcipitantia navem, quam cunctatione propellere.

Equidem *Alexander M.* interrogatus, quo usus consilio, tanta & tam magna tam brevi temporis decursu gessisset, respondisse fertur.

Μηδὲν ἀναβαλλομενος.

Ast raro prudentiæ tribuenda, feliciter circum-acta temeritas, quam sæpius comitari solet, *Aliena ab omni Sapiente pænitentia.* Vid. Cié. Tusc. q 5

Per temeritatem Varro Cannas Pharsaliam Pompeius, Brutus Philippos clade notaverunt: Collapsas vero, fractasq; *Romanorum* vires Fabius Maximus *cunctando restituit.* Ennig.

Tam verum est, omnia illa feliciter cedere quæcunq; sapientiæ geruntur præsidio, ut non immerito Poeta; Phocylid.

Αγρὺς κι' πολεας σοφια κι νῆα Κυβερνᾶ.

Ubi & agrorum fæcunditatem, & tranquillitatem civitatum, & Oceani malaciam a Sapientiæ fascibus arcessit.

Quoniam igitur *PRINCEPS* noster, ingentes animas, impotentiæ & temeritatis incursu transuersum non est passus abripi; eo ipso apud *Cordatos* omnes, & reprehensionis morsu Vacuus, & perennaturarum laudum censu opulentissimus evasit.

Premebat hic Invictissimi sui Fratris CAROLI II^di. vestigia, qui insignem debitæ Restaurationis fortunam, moderatione, multo effecit clariorem. Promulgata enim plus quam *Atheniensi* ἀμνηστια noluit Parricidarum sanguine, Imperatoriam fedare purpuram, sed expiatâ

per

per regiam clementiam, conjuratorum facinore, concussum *CIVITATIS* statum, ad pristinum habitum reduxit, in tantum ut (juxta *Martyris Sanctissimi* monitum,) non solum *Principum MAXIMUS*, verum etiam *Optimus* haberetur.

Εκ Βασιλ.

Itaq; *PRINCEPS* uoster, post tot exantlatos in oris peregrinis labores, ne, qui Virtute maturus erat, fascibus intempestivis prædicaretur, *SCOTICANO Imperii LEGATUS* constituitur, ibi est fidem Curæ suæ daturus, & dexteritatis in rebus gerendis specimen.

Dira malevolorum pleriq; capiti *EJUS* imprecabantur, desuper ciebant fulmina, et dum superos flectere non possent, movebant *Acheronta*. *Avitum Brittannum*, hostem polli-cebantur: brevibus: exitia, funera, παγολεθρίας meras buccinabant.

Ast prudenti verum temporumq; *Dispensatione*, confusam rerum seriem in ordinem reduxit; ut licet aliquis faciliori negotio ab *Acio Navo*, cotem novaculâ discindi posse existimasset, quam sub Ejus auspiciis, conjurati scæleris duritiem emol-liri, eventu testatum dederit, tot adversariorum telis, unum *JACOBI STUARTI* pectus sufficere potuisse.

Inducit igitur beatissimam, antiquissimo *SCOTORUM* regno faciem, & hostes si qui erant, sui admiratione placat, gestientesq; inimicorum occulos, quasi delapsum cælo sydus, præsentiæ suæ obstupefacit spectaculo.

Non opus ibi erat aliorum Satellitiô, Ipse *PRINCEPS* ab infestando *PRINCIPE* quemlibet abstertere potuit.

Quæ.

Quantumlibet autem contranitentium turba toto furore detonaret, noluit, poſtaquam ſemel in *Olympia* deſcendiſſet ſuſpenſo progredi veſtigio, ſed in id allabo ravit ſemper, ut poſt luctam, *Victoriam*, poſt *Victoriam*, applauſum, poſt applauſum CORONAM oblineret.

Noverat ad ipſam vulneris ſuſpicionem, *Tyronem* contremiſcere: exercitatum vero *Militem* lætum ſuo ovare cruore, ut qui *Sæpius* vicerit poſt ſanguinem.

Imprimis autem, ſemper uſus *Clementia*, ſemper liberalitate, manifeſtum fecit, nunquam ſibi *Tyrannide* fortunas alicujus expilare, ſed cum *Ptolomeo*, ditare potius inferiores, quam ab illis diteſcere deſtin tum. Artaxerxis. Scilicet noverat magni Imperatoris edictum; Re alius eſſe dare quam accipere.

Ubi lacertis & *ratione Status*, domare non potuit, domuit Eloquentia, cujus tanta eſt in ipſo ſuavitas, tanta dexteritas, ut *Platonicas* apes; *hyblæum* mel labiis Ejus intuliſſe, & efficaciſſima exquiſitiſſimæ Rhethorices alimenta inſtillaſſe Arbitreris.

Hac methodo tantō digna PRINCIPE & hominum ſibi corda devicit, & multos hinc inde mucrones, civilis profundendi ſanguinis cupiditate furentes, non inhibuit ſolum, verum etiam vel diſtrictos jam & vibrantes iterum vaginis condidit, vel in ipſos *Catilinarii* auſus *Architectos* prudentiſſime non minus ac efficaciſſime convertit. Et quidem pro merito, quandoquidem ut inquit Orator; *Sunt Dii immortales, lenti quidem ſed certi generis humani vindices, & magna exempla in caput invenientium regerunt, ut juſtiſſimâ patiendi vice, quod quiſque alieno excogitavit ſupplicio, ſæpe excipiat ſuo.* Sene. pater. præf. in l. 5. Contr.

Itaq; pacatis undiq; in Regno *SCOTIÆ* negotiis, atq; in eum reductis habitum, cujus seriem, stylo nostro cancellare non possumus, omnium in *SE* convertit oculos, in tantum ut instar alterius *TITI Britannici Orbis*, amor ac delicium vocaretur. Tantum illi ad promerIndam omnium voluntatem, & ingenii, & artis, & fortunæ superfuit: donec liberam hanc a *Scotorum* ingenuis, confessionem elicuisset, se, interveniente, Sacratissimo genii IPSIUS, in disponendis eorum rebus conamine, felicissimos esse redditos nec quicquam aliud præter perpetuitatem anhelare.

Felicem PRINCIPEM, qui REGNUM, rationê firmavit, Eloquentiâ devicit, Virtute compescuit, legibus fundavit, ditavit liberalitate, hilaravit clementiâ, certo duraturoq; consiliô stabilivit.

Non jam IPSI semiramidis mænibus, non Xerxis myriadibus, non Cyri Dariive opus erit phalangibus, Spartanorum sufficient huic AGESILAO thoraces qui non ante concidere poterunt, quam desierint vivere.

Virtus Illum in aperto saluum præstitit tam securè, ut non facile imo nunquam, ullum sit sensurus arietem.

Viderunt istud ALBIONIS populi, & quam plurium consensû; in suis oris damnaverant Virtutem, in exteris sese exerentem adorarunt. Iamq; PRINCIPEM revocare, jam suos EI, gestiunt substernere fasces; Cujus sibi *faciem* olim exitiosam putabant, in præsentiarum vel ab umbra petituri præsidium.

Et sane, huic SALUTIS ædi, solius FABII nostri nomen tanquam supremum *Britanicæ* nationis defuit or-

ornamentum. Folle enim hanc *Phydiæ* imaginem & totam Minervæ colligationem diruperis. In hoc cardine vertitur gentis honos, victoriarum gloria triumphorum pompa, palantisq; hinc inde populi qnies & solatium.

Proinde redeunte ad FRATERNAS aras PRINCIPE, undiq; applausus, undiq; gratulationes emergunt tantoq; intensiora officia quanto ante remissiora videbantur.

Qui recens distento gutture dira imprecabatur, relictis suis complicibus, aliam jam indurus faciem, alium præ se ferens Vultum, modulatur;

Salve PRINCEPS optime, Vive Invictissime Imperator.

Certat inter se Populus studiis, certat officiis, & quo quis fuit in exequendo munio festinantior eo reputatur beatior.

Quandoquidem igitur *Celsissime PRINCEPS*, ad consummatam fere, Virtutis *TUÆ*, per tot avia ætatem appulisti, & jam tuto, de summo specularis vertice, juxta illud; Conclusio.

Et via Virtutis dextrum petit ardua collem
Difficilemq; adytum, primo spectantibus offert
Sed requiem præbet sessis in vertice summo:

Quuandoquidem tot in Patriam bene meritis, *TE* Reipublicæ magis quam Tuam demonstraveris Rempublicam; ut nemo tam perverso ingenio reperiatur, qui vel *TIBI* audeat, vel *TE* Reipublicæ asserat struere periculum, & meam acclamationem ejusdem semper tenoris, clementer suscipe

Sis

Consilio (ut facis) *TUOS* semper rege, demulce liberalitate, Lernæamq; *Herculis* hydram, græco quod ajunt igne, aliquando supera, aliquando si sint movendi lacerti

Nè quà cede malis sed contra audentior ito
Quo TUA TE fortuna vocat.

Imprimis autem, innatam Tibi clementiam propius complectere: priorum obliviscere morsuum, ut testatum facias, non salutis *TIBI* tantum curam, sed etiam honestæ cicatricis fuisse.

Apum, ut aliquis inquit, examina respice, quæ cum omnes sint pugnacissimæ, soli Regi cum aculeo etiam telum detractum est, quasi natura voluisset iram ejus inermem relinquere.

Vide Val. l. cap. 8. Non *TU* novas Carthagines reformides non earum metuas mænia. Alant licet multo terribiliorem semet ipsis serpentem tot licet nutriant dracones, tamen seu Virtute *TUA*, seu temporis decursû, seu ipsius adhibitione clementiæ, facile prosternentur.

TU interea *SERENISSIME PRINCEPS*, mactè, *Virtutum Principe* dignarum opulentissimè abundes quæstû, sis hostibus terrori, amicis solatio exteris admirationi, donec ex durabili famæ *Quercu* immobiles *Augustissimæ Stuartorum* domui, postes erexeris, ex quibus appensæ coronæ, sempiterna gloria renideant, atq; in nunquam cessatura sæcula porrigantur, Dixi.

Errata Typographica corrigat Lector benevoliæ.

Pag. 8. l. 22. leg. *recensentur*. p. 10. l. 14. leg. *sonoras*. p. 14. l. 13. leg. *flagitium*. p. 18. l. 8. leg. *Scoticani*. Ibid. l. 16. leg. *rerum*